

Fig. LI.



manus erat) appendimus , ita ut vesicam valide tendens subjectam tabulam leviter attingeret. Mox, immisso mediocri saltem oris flatu per apertum superne cauliculi anserini orificium , tumescens vesicam vidimus & decurari notabiliter, & sic, contractam magis magisque pondus appensum ad trium circiter digitorum altitudinem attollere. Posthæc, cum nondum novem annorum filius meus eadem isthæc decem pondo insufflando sustulisset , facile nobis experti sumus molem adhuc majorem elevare. Tandem, applicatâ simplicissimo huic instrumento Trochleâ nostrâ sextuplicatâ , ita quidem ut funiculus extremus *D* (Vid. Fig. LI.) ad terram usque protensus & parvulæ cuidam trochleæ solitariæ , quam ibi fixeramus , circumvolutus, vesicæ è sustentaculo suo suspensæ imo firmiter ac strictim alligaretur, sexaginta librarum pondus è tenui oris anhelitu suspendimus , sed vix ultra dimidii digiti altitudinem. Quamvis enim Vesicæ contractæ fundus plus tribus digitis adductus esset , hæc ejus emotio tamen , per sex funiculos postmodum distributa , non poterat majorem subsex-tuplâ elevationem in allevando pondere causari. Quamobrem etiam monendus est Lector curiosus , hæc forsitan experimento proprio pertentaturus , ut , nisi in cassum laborare velit , alligatum vesicæ funiculum una cum ipsa, arctius adducat prius , exaltato subinde vesicæ sustentaculo, quàm ipsi flatum immittat : alioquin, ubi laxiores fuerint funiculi , inflatæ vesicæ adductio vix sufficiet ad extendendos funiculos , nec in elevationem ponderis ejus quidquam redundabit.

AUCTARIUM XII. TENTAMINIS.

Circa hoc artificium graphicum non est quod multa porro annotemus, quando id non solum peculiari libello , eoque & latino & germanico , ab Inventore ipso, sed ex utroque isto , à P. Gasp. Schotto quoque Techn. Curiosæ Lib. VII. Cap. II. prolixius descriptum est; utut Inventoris ipsius descriptiones videre mihi ne quidem in hunc diem usque datum sit. Est is, ut refert Schottus *Jo. Joachimus Becherus*, Spirensis, Medicinæ Doctor & Electoralis Aulae Mogun-